riam consecuti, vt in omni indigentia & omni casu, conuenienter dono, quod est eis donatum, conseruis suis benefaciant, idque postquàm hinc excesserint, & à corpore fuerint separati. Quorum memoria cum opere quotidiè peruadit ciuitates & vicos, vbique prædicans benefactorem Dominum: quem decet omnis gloria, honor & potentia, sanctitas & magnificentia, nunc & in sæcula sæculorum, Amen.

An. 100. VITA S. PHOCAE EPISCOPI ET MARTYRIS EX LIB. VI. CAP. LXXXXIIX. CATALOG. PETRI DE NATALIBVS.

Phocas Synopis Episcopus.

Sistitur Armeniæ Præfecto Aphricano.

Aphricani Præfecti mors.

A Phoca reuocatur ad vitam & cum familia ad Christum conuertitur.

* Tormentis subijcitur.

Patent ipsi carceres & Cornelius centurio cũ 1000. militibus baptizatur.

† In caminum ardentem conijcitur.

[a] In thermis spiritũ reddit.

PHOCAS Episcopus & martyr passus est in Ponto ciuitate, sub Traiano Imperatore. Hic primo artem gubernatoriam exercuit: deinde diuina dispensatione ad Episcopatum Synopis ciuitatis peruenit. Cumq; Traianus Imperator in partibus Armeniæ Christianos prosequeretur, Aphricanus eius Præfectus Phocam Episcopum in vrbe Ponto degentem detineri fecit, sibiq; præsentari. Quem cum multis exhortationibus ad deorum sacrificia inuitasset, Phocas longa verborum disceptatione Aphricanum confundebat & deos gentium dæmones affirmabat. Cum aũt Præfectus ei supplicia diuersa comminaretur, orante sancto immensus imber effusus est, terraq; concussa, grando, fulgura ac tonitrua terribiliter irruperunt. Aphricanus nimio terrore perterritus spiritum exhalãs mortuus cecidit, Christiani aũt assistentes, ingentẽ lucem de cælo fulgentem cernunt: & angelos tres igneos sancti Episcopi lateri assistentes, ipsumq; exhortantes & exinde cælos aduolãtes. I.

QVIBVS miraculis Terentiana vxor Præfecti cum filijs quinq;, Phocę pedibus aduoluta, veniam ac vitam viro II.
exanimi supplicabat. Qui oratione præmissa Aphricanum suscitauit, & cum omni familia ad Christum conuertit. Quæ cum Traianus Imperator audisset, Phocam comprehensum exhortabatur, vt dijs immolaret. Phocas aũt petijt sibi ipsos deos ostendi. Sed * cum imperator ipsum ad templum introduxisset, sanctus martyr, nõ solum rationibus, sed experimento ipsos nõ deos, sed simulacra insensibilia cõprobauit: propter q; indignatus Traianus ipsum in ligno suspendi fecit & torqueri, atq; vngulis ferreis vsq; ad nudationẽ ossium lacerari: quẽ orantem vox cælica cõfortauit.

IMPERATOR audita voce pertimuit, Phocamq, in carcerem trudi fecit, & centurionem nomine Crispinum III.
cum mille militibus ad custodiam eius adhibuit. Orante vero sancto media nocte lux ingens de cælo refulsit, & ianuæ carceris patefactæ sunt. Quod cum vidissent centurio & milites mille conuersi sunt ad Christum. Phocas vero ipsos extra muros ad littus maris adduxit, eosque omnes baptizauit, dehinc ad carcerem redijt.

DIE vero sequenti Traianus ipsum eductum & Neptuno deo marino sacrificare renuentem, in † caminum IV.
ignis ardentis immitti iussit, in quo per tres horas sine vlla læsione perdurauit, indeq; omnino inustus exiuit, quem Imperator in thermis ante triduum accensis intromitti fecit: vbi [a] cum orasset ad Dominum spiritum emisit; corpus verò intactum à calore permansit, quod etiam nimio odore fragrabat. Balneæ verò quasi glaciali rigore congelatæ sunt: quo dum Traianus intrasset & huiusmodi miracula vidisset, stupefactus admodum exiuit. Cui [b] in thermarum ianua sanctus Phocas lucidus apparuit, eiq; prædixit quod post triduũ moriturus esset & ad inferna descenderet. Statimq; Traianus febrium calore vexatus post triduum vt Phocas ei prædixerat expirauit. Corpus autem sancti martyris in Galliam ciuitatem Armeniæ delatum ibidemque sepultum est, qui passus est pridie idus Iulij.

[b] Passum hunc Synope, tradi Baron in notis ad 14. Iulij.

Huic S. Phocæ historiæ assentitur Vincentius lib. 10. Spec. Hist. cap. 62. 63 & 65 qui ea ex gestis ipsius martyris se habere profitetur.

De eodem Phoca ex Menologio Græcorum.

PHOCAS fuit filius Pamphili in regione Synopis, statim vero ab infantia, sancti Spiritus gratia adiutus miracula edebat, & vsq; ad extremum spiritum edidit, qui diuina voce his verbis admonitus: Poculum tibi temperatum est, illud te oportet bibere. Quod nimirum diuina ope adiuuante sub Traiano Imperatore bibit, gladio & igne consummatus, multi quoque post eius ad Dominum migrationem, per eum Deus effecit miracula.

Corpus S. Phocæ Episcopi Viennam in Galliam translatum esse ad ecclesiam sanctorum Apostolorum, scribit Ado in Chron. ad an. 101.

An. 530. *VITA S. IOHANNIS REOMAENSIS ABBATIS VT HABETVR IN PERVETVSTO MS. CODICE: VERVM STYLVM OPportunis locis mutauimus.*

22. Sept. Patria & parentes.

Valedicit mundo vitã solitariam eligens.

Clam fugit, nè præficiatur multitudini.

VIR per omnia prædicandus Iohannes, nulliq; suo tempore secundus, ortus in territorio vrbis Lingonicæ, nobili genere, patre Hilario, matre verò Quieta: puer literis imbuendus traditur. Cùm autẽ fuisset annorum viginti, inuitis parentibus seculo valedixit, ac in remoto loco villæ, proprijs manibus cellam & oratorium construxit: vbi adiunctis secum duobus pueris, soli Deo vacabat. Inde verò ad perfectiora tendens, in deserto quod sub axe Lingonico iacet, cum dictis pueris se contulit, & primò ibi in paruo tugurio habitauit. Crescente autem numero discipulorum ad eum confluentium, timuit ne plebi dominando, periculum potiùs elationis incurreret, quàm vitæ meritum acquireret. Quocirca cum duobus prænominatis socijs nocte fugiens, perlustrauit Galliæ monasteria: tandemque peruenens in insulam marinam, monasterium Lirinum petijt, ibique receptus, districtissimè vixit, ac sanctissimè inter cœnobitas illos conuersatus est. I.

Eius humilitas.

HIC igitur postquàm anno & mensibus sex delituisset, per vniuersam patriam quæsitus, à quodam, qui de II.
Galliæ partibus aduenerat, vix agnitus propter habitũs sui vilitatem, inuentus est. Cognito autem eo, monachi Lirinenses, quem priùs fama celebrem reddebat, veniam suæ ignorantiæ humiliter petierunt, quòd ei interiuniores locum dedissent. Interim reuersus agnitor ille, ineffabile gaudium de inuentione beati Iohannis reportauit. Quod cùm Gregorius piæ memoriæ Lingoniensis Episcopus intellexisset, duas conscripsit epistolas, vnam per duos fratres, domino Abbati Lirinensi transmittens, qua virum Dei rogabat sibi restitui: alteram verò Abbati Iohanni, qua eum reuocauit ad suos: terrendo eundem quòd esset ante tribunal iusti Iudicis Christi reddituros rationem, ob sui loci desolationem, ac fratrum dispersionem. Regressus igitur vir Dei, non tam illi patriæ, quàm suis filijs multum attulit gaudij, ac breui spatio reformauit monasterij disciplinam, qui desijt esse inhumanis anno 541. vt habet lectio marginal. Barrali.

Reuocatur ad suos filios per D. Gregorium Lingonien. Episcopũ.

CVM ergò in dicto deserto Tornodorensi præesset, fratres nimiam patiebantur aquæ penuriam: cui incommodo quærentibus remedium, nunciatur, eodem loco antiquitùs fuisse puteum multæ profunditatis, quem vulgaris incuria, & temporum vetustas nimia lapidum obstruxerat congeries. Serpens verò basiliscus in eodem putei loco habitabat. Sanctus verò Dei plenus fide, prior ad locum accedens, rastro fodere cœpit, ac alijs inuantibus putei ostium aperuit, & serpentem oratione interemit: Ex quo puteo copia aquæ in præsens vsque haurit. III.

Oratione occidit basiliscum.

PER idem tempus mater sua, magno eum videndi tenebatur desiderio, quod cùm per fratres ei esset significatum, pri- IV.

tum, primò renuit, sed posteà ne fidem matris videretur velle contemnere, eam admisit, ac transiens ante eam cum reuerentia, parumper obtutibus eius seipsum exhibuit, moxque discessit, rogans per ministros, nè in hac re ampliùs molestaretur, quia deinceps se eum nullatenùs visuram in præsenti vita, prædixit. Mater sua eum visitat.

V. ALIO quodam tempore cùm fratres ligna cæderent in sylua, casu ad monasterium reuersi, reliquerunt secures suas in cœpti operis loco, quas quidem superueniens inuentas furatus est. Posteà fratribus id suo patri referentibus, ille iussit eos lectioni vacare. Et exiens ad prædictum locum, ibidem intentissimè orauit. Fur igitur reuersus, ad pedes sancti viri corruit, secures restituit, & veniam commissi criminis humiliter expostulauit, asserens se antè restitutionem de nemore exire non potuisse. Fur quidam diuinitùs cogitur restituere ablatas secures.

VI. EIDEM sancto Dei mirabilis effugandorum dæmonum collata est potestas, quo vsque in viuis manebat: vndè & filium clarissimi Nicasij obsessum, cùm propè transiret, & ille proclamatet non posse diutiùs tolerare Iohannis Abbatis præsentiam, ad eum accessit, & oratione sanauit. Alium * quoque mutum obsessum curauit, qui vsque ad obitum in monasterio posteà laudabiliter vixit & perseuerauit. Dæmoniac curatur. * Itè alius

VII. QVODAM tempore literas suas ad Secundinum patricium misit, quibus cui iusdam pauperculi causam egit. At ille, spreta eius commendatione, literas in terram proiecit & pedibus conculcauit. Sed non defuit Dei vindicta. nam toto corpore tanto tremore ac pauore subitò concutitur, vt intelligeret, ob tanti viri contemptum sibi ista mala perpeti. Mox igitur per internuncios humiliter veniam deprecatur, & tandèm imperata sibi per sanctum complens, sanatur. Secundinus patricius diuinitùs castigatur. Curatur.

VIII. PLVRIMOS quoq; infirmos, missis eulogijs, mortis faucibus eripuit. Quodam enim famis tempore, dum egentium caterua ad sanctum conflueret, & ipse omnibus misericorditer subueniret, minister eius superueniens, et indicauit, tantum non superesse frumenti, quantum omnibus sufficeret. Mox pius pater vas iussit pro pauperibus impleri, capiens plus minus modios quinquies quinos, cætera quæ restabant, in vsus fratrum reseruari. Cùm ergò turba egenorum per aliquot tempus ex eo aleretur, euenit vt quidam iuxta morem mendicaret. Sanctus autem consuetam mensuram dari iubet egenti. Minister verò respondit, nihil in vase existere, sed totum pauperibus erogatum. Quo audito, sanctus oculos in cælum attollit, & genuflexo orauit Dominum. Qui surgens ab oratione, iubet ministro, vt fideliter alimenta deferat indigenti. Pergens ergo minister, vas quod priùs vacuum reliquerat, repletum reperit, & pauperi consuetam mensuram dedit. Mira eius benignitas in pauperes. Pro pauperibus sibi alimenta cælitus administrantur.

IX. VIR quidem religiosus Sequanus nomine, audita fama sancti Iohannis Abbatis, more patrum, quadam nocte à partibus Magnimontenensis aduenit, & basilicam sancti Iohannis oraturus latenter intrauit. Quod vbi vir Dei diuina reuelatione intellexit, iubet ministro, vt dato signo sodales excitet, quia frater communis Sequanus, absconditè fores ecclesiæ penetrans orat. Abeuntes ergò fratres ad ecclesiæ fores, famulum Dei orantem inuenerunt, cui hospitalitatis officium deuotè persoluerunt. Obijt autem sanctus Iohannes Abbas anno ætatis suæ centesimo vicesimo: Cuius oculi non caligauerunt, nec dentes damna pertulerunt, nec eius memoria lapsa est. Sepultus, quotidiè nihilominùs viuit miraculis. Felix obitus eius.

DE EODEM S. IOHANNE ABBATE, EX GREGORIO TVRONENSI DE GLORIA CONFESSORVM Cap 87.

I. FVIT in Tornodorensi pago in parochia Lingonicensi vir sanctitate præcipuus Iohannes Abbas, iuxtà sui nominis etymologiam, diuina gratia præuentus. Denique fertur, quia cùm monasterium ædificare vellet, quod Reomaus nuncupatur, & fratres nimiam aquæ penuriam paterentur, reperit puteum immani profunditate altum, vbi pessimus serpens basiliscus habitabat. Hic itaque diuina inuocatione perempto serpente, ac mundato puteo, puteum potabilem fratribus reddidit: de qua aqua & nos, cùm Lugdunum pergeremus, à fratribus illius monasterij benignè suscepti, causa miraculi hausimus: cuius etiam haustu plurimi frigoretici curantur. Basiliscum precibus necat.

II. FERTVR & de præfato viro tale miraculum: Quidam fratricida pro enormitate criminis, ferreis circulis alligatus, præceptum habuit, vt septem annis loca sanctorum peragrando circuiret. Hic cùm Romam venisset, reuelatione diuina comperit, non aliter se posse absolui, nisi ad sancti corporis reliquias Iohannis Reomaënsis Abbatis peruenirent. Hic ergò passim lustrando loca, tandem peruenit ad basilicam, vbi haud longè à monasterio sacratissimum corpus eius locatum est. Ibique orationibus ac vigilijs incubans, vinculis omnibus absolutus est. Vixit vir hic iustus & vir religiosus, sicut legislator Moyses, centum viginti annis, cuius nec oculus caligauit, nec dens motus est. Fuit autem institutor viri memorabilis, de quo in suo loco narrabimus. Nota pœnam fratricidæ. Grandis ætas beati viri. *Deut. 34.*

VITA S. HEIMERAMMI VEL EMMERAMMI, RATISPONENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS, AB CYRINO FRISINGENSI EPISCOPO (QVI & Heres dictus fuit, teste Marco VVelsero lib. 5 rerum Boicarum) obijt 15. anno 782. conscripta. Stylum F. Laurentius Surius passim nonnihil mutauit, paucis omissis, quæ deprauatè scripta, intelligi non potuere. AN. 750.

I. REGNANTE in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, qui sanguine suo seruos suos liberare dignatus est, & eius passione longè lateq; per mundum fama diuulgata, etiam Europæ non modica pars Christianismi religione insignita floruit, & tot Occidentis populi, Angli, Britanni, Hyberni, Galli, Alemani, Germaniæ pars, paulatim miris modis in Dei confessione & laude constanter excreuêre: Gotthia etiam, & Hispania, & Aquitania cum habitatoribus suis, reiecta idololatria, vnicum Dei filium colere cœperunt. In cuius quidem Aquitaniæ partibus Pictauium vrbs antiqua sita est, ex qua ortus est puer Heimerammus: qui in ipsa puerili ætate cœpit mundum despicere, & gloriam eius ceu quisquilias calcare, atque ad sacrum liberalium literarum studium sese applicare, ità vt, superno iudice agente, ad * summum Episcopatûs honorem peruenerit. 22. SEPT. S. Heimerami patria. Pietas adhuc pueri. * Fit Episcopus.

II. ERAT autem statura procerus, forma decorus, vultu syncerus, eleemosynis præstandis præcipuus, ieiunijs valde addictus, castitate & continentia præclarus, sermone facundus, ad eradicanda vitia sagax, ad irriganda & conserenda subditorum pectora solers. Eius ex ore, perindè vt aquæ fluminis in imas conualles profluentes, psalmodia perpetuò erumpebat, donec pro more psalterium omne deprompsisset, Atque etiam subditorum, vt diximus, animos cælesti imbre irrigare non cessabat, ita vt nullum penè ocium daret ori suo. Pes erat claudo, oculus cæco: recreator pauperum, pater pupillorum, defensor viduarum, gementium consolator. Porrò Dominicas pascendi Virtutes & dotes eius.

ouestan-